

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homiliae Catholicae De Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ Et  
Iosephi**

Cum quadruplici Indice

**Cartagena, Juan de  
Coloniae Agrippinae, 1613**

Admodvm Reverendo In Christo Patri, Domino Hvberto Germits.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51414](#)



# ADMODVM RE- VERENDO IN CHRI- STO PATRI,

*DOMINO HVBERTO GERMTS.*

IN SIGNIS MONASTERII S. TRVDONIS  
ABBATI DIGNISSIMO, &c.  
Domino iugiter colendo

*BERNARDVS GVALTERVS CIVIS AC BLIOPOLA COLONIEN. F.*

**Q**UOD proborum hominum preces ac vota continuò moliri solent, ut optimi qui que viri periculantium Ecclesiarum gubernaculis admoueantur, nullibi terrarū confectum est, Ad. <sup>vn</sup> Reuer. in CHRISTO Pater, si factum nō est in celebri Monastrio vestro S. TRVDONIS; ubi non ita pri dem Religiosi Electores, cū vnaminis vocibus in Te conspirarent, Præsulem adepti sunt, non qui dignitatem sifuerit, suffragatores sollicitarit, aut oblatos sibi titulos lætanter arrepturus videretur; sed qui æquè à momentaneo splendore ac regendi priuilegio alienus, per omnem ætatem subiici & parere, quām imperare maluit; adeoque præparatam sibi Honoris cathedram non rogatus, sed coactus ascendit.

Iure igitur dicti imprimis Monasterij membra inuicem

\* 2

sibi

E P I S T O L A

sibi gratulantur, & cum gaudio, quotquot filij pacis sunt, tam  
benigni Capitis se moderationi attemperant. Ceterum, ne  
optata hæc inauguratio ipsis solis solatio fuisse videatur, om-  
nes pariter Cholinianæ familiae palmites, vel eo nomine mi-  
rificè recreat, quod R. P. V.<sup>o</sup> olim quidem cum MATER NO  
CHOLINO socero meo, viro sæculi sui clarissimo, tam libe-  
raliter versata fuerit, ut non minus ipse de HVBERTI virtute,  
quam hic de MATERNI in se benevolentia gloriaretur: Nunc  
verò eandem consuetudinem cum amplissimo D. IOANNES  
CHOLINO MATERNI F. Insignis Eccles. Bonnensis Præpo-  
sito & Archidiacono, fraterno hinc inde affectu redintegrata  
tam continuet. Ac singuli profecto tantam, quantum dixi,  
lætitiam se concepisse non obscuris indiciis probaturi sunt.

Ad me quod attinet, posteaquam Epistolis ad ERNESTVM  
CHOLINVM nepotem scriptis R. P. V.<sup>o</sup> declarauit, quam  
gratæ sibi nuper acciderint cum ipsius lucubrations in Psal-  
mum MISERERE, tum farrago illa sermonum F. ADAMI  
SASBOV<sup>T</sup> Franciscani, ambæ typis meis, præterito anno illu-  
stratæ; præsentes Parthenicas Homilias F. IOANNIS DE  
CARTHAGENA, memorata S. FRANCISCI Familia Orato-  
ris in Vrbe, ac Theologi celeberrimi, Nomini Ipsius conse-  
cro: Codicem inquam, cuius si doctrinam ponderemus, gra-  
uissimum; & si materiam, de eâ Reginâ, Magistrâ, ac Tutrice  
perstantem, quâ non præsidente, nemo obtemperat; non  
docente, nemo instruitur; non protegente, nemo defenditur;  
sed omnia susque, deque, velut in cæco Inferni Barathro con-  
funduntur.

Neque verò miretur me librum potius, quam aliquid aliis  
generis munusculum R. P. V.<sup>o</sup> decreuisse. Hoc enim consi-  
lium, siue Ipsius adhuc viuentis fama exteris quoque pro-  
mulganda esset, siue exacto demùm vitæ curriculo præclaræ  
in Rempublicam Christianam merita posteris commendan-  
da; omnium maximè opportunum fore, multi mecum sibi  
persuaserunt præstantes viri; vt potè non ignari, similia volu-  
mina, vbi imprimis patronorum suorum nomina ex uno,  
vsque

DEDICATORIA.

vsque in alium orbem, vt ita loquar, pernicibus alata velis  
transuixerint; deinde etiam ab interitu Typographiæ bene-  
ficio vindicata, eorundem virtutes suâ immortalitate perpe-  
tuare.

Quocirca agnosceret spero specimen hoc voluntatis meæ,  
Admodum R. P. V.; & studium, quod me videt in Ipsa pu-  
blicè honorandâ collocasse, si non vsque adeò gratum, certè  
neque ingratum erit. Interim autem locupletissimum labo-  
ris mei fructum consecutus fuero, si me in eorum numerum  
adscriperit, qui apud Ipsam aliquod obsequij genus sub-  
eunt. Atque hîc, nè mox in limine dignitatis prolixiore allo-  
quio Ipsi molestus sim, quiesco, Optimum Deum deprecans,  
vt tantum Patronum meum fortiter tueatur, & suau-  
ter foueat Ad M V L T O S A N N O S. Valeat  
Coloniae Vbiorum, Prid. Non. Martij,  
Anno M. DC. XIII.



\* 3

PHILIP-